

**www.e-rara.ch**

**Vita et Confraternitas S. Jddae Comitissae Tockenburgi :**

**Seiler, Joachim**

**Constantiae :, anno M. DC. LXXXV**

**Kantonsbibliothek Thurgau**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-149482>

Caput XXVI. Origo, propagatio & flatus inclyti monasterij Fischingensis, uti & successio & nomina abbatum, qui hac: nus ibidem praesucrunt.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

## CAPUT XXVI.

*Origo, propagatio & status Inclyti  
Monasterij Fischingensis, uti & successio &  
Nomina Abbatum, qui haec nus ibidem  
praesuerunt.*

**T**Ametsi plurima de origine Monasterij nostri, eiúsq; antiquitate supra cap. 24. dicta sint, oportet tamen hoc loco, tanquam materiae huic proprio per modum compendij aliqua addere, eâ tamen lege, ut ad vitandam molestam crambem antiqua non multum repetantur, scitu verò necessaria non omittantur.

Quantum igitur excitato capite vigesimo quarto & allegata ibidem auctoritate partim Episcopalis Constantiensis Archivij, partim antiqui Chronici, & vel maximè ex literis Reverendissimi Episcopi Ascalonitani Suffraganei Constantiensis ad Summum Pontificem Gregorium XIII. datis colligitur, substantia totius veritatis de origine & antiquitate Monasterij Fischingensis eâ potissimum traditione nititur, quòd nimirum occasione cruentæ excitatæ persecutionis, imperante Trajano, circa annum Christi 104. Christiani quidam ex Italia in has partes profugerint, &, quia teste Cæsare Baronio ad annum 100. non tan-

tum Romæ & in Italia, sed toto Romano Imperio furor ille desæviebat, miseri fideles inaccessibleas ut plurimum solitudines pro asylo sibi delegerint, eiusmodi horridus, abruptus, reconditus & silvis impeditus locus tum temporis Fitchinga erat, quò se dicti Christiani receperant, & per nemora anfractùlque angustæ vallis dispersi passim eremiticam ac rigidã vitam duxerant, unde in hodiernam usque diem silva illa infra antiquum Tockenburghum sita, silva fratrum, sive Anachoretarum appellatur. His primis Anachoretis successere continuâ serie ac pietatis propagatione alij atque alij, donec Ordo S. Benedicti eas quoque in partes introductus est, quem utpote suo vivendi modo valde congruum dicti Eremitæ amplexi in unum veræ Religionis corpus coaluerunt, ædificato ipsis in eum finem à Tockenburgicis idoneo quodam Monasterio, in quo unà viverent, & Deo servirant, fama est, primum loci fundatorem in Ecclesiola Omnium Sanctorum, quæ hodie dum intra muros Cænobij visitur, sepultum fuisse, & quidem sub ipsa templi ara conquiescere. Hic locus, de quo in præsentis sermone, initio Augia S. Mariæ, dein cum tempore Piscina, ac tandem Fischinga nominatus est. Pro sigillo accepit hoc Monasterium duos pisces in campo seu scuto Cæruleo. Verosimiliter hoc Symbolum ipsi obvènit à Comitibus

Tockenburgicis, tanquam Fundatoribus, qui supra galeam duos pisces exhibere solebant.

Peruasio antehac erat, quasi hoc Monasterium initio solummodo Præpositura fuerit, ob varios Præpositos, qui in nostris monumentis passim occurrunt. Quia verò præterea cognovimus, quòd Præpositi non ante Abbates sive Prælatos, sed uno eodémque tempore cum illis in rerum natura fuerint, vixerintque, inde probabile videtur, eos ceu quosdam Priores fuisse, præsertim cum in nostro <sup>facis</sup> referto funerali codice unius tantum Prioris, sed plurium Præpositorum, atq; etiam unius Congregationis nostræ Decani mentio fiat; unde longe conformius Archivio Constantiensi esse dicimus & cum eodem sentimus, hoc ipsum Monasterium statim à primis sui exordijs in Abbatiam erectum, ac fundatum fuisse. Eam ob causam omitto recensere Præpositos, in quorum numerum referendus foret etiam Adelbertus Baro à Wangen, & meliore, ut puto jure & ordine solummodo Abbates enarro, eâ serie, quâ Monasterio præfuerunt. Notandum tamen hoc loco est, quòd non omnes suo quisque tempore signati sint, utpote nobis incogniti; quare apppositi numeri sanè non ita intelligendi, & interpretandi sunt, quasi qui primo loco est positus, re ipsa primus, alter immediatè secundus foret, sed præcisè eo modo & ordine, quo à nobis in

monimentis nostris inventi atque excerpti sunt. quæ documenta cum ob varios casus, vastationes, incendia, mutationem & innovationem Religionis plurimum passa sint & magna ex parte interierint, tam accurata esse non possunt, quàm si mansissent integra.

*Nomina quorundam Abbatum  
Monasterij Fischenensis.*

I. **M**Arquardus Abbas, de quo haud satis constat, quo tempore vixerit, & an primus Abbas fuerit, obiit 4. Martij. quo verò anno, latet.

II. Albertus Trungenfis. vixit circa ann. 972. mortuus 18. Maij.

III. Luitholdus Weissenbergensis præfuit an. 981. obiit 23. Martij.

IV. Burckardus I. vulgò am Steig. vixit an. 987. decessit 2. Iulij. post hunc Abbaté anni intercedunt 42. intra quos nulla mentio ullius Abbatis, sed magnum in monumentis invenitur silentium.

V. Wernerus Seedorffensis præfuit an. 1029. post hunc nulla mentio de ullo Abbate ad ipsos 68. annos.

VI. Walterus Mörler vixit an. 1097. piè obiit 12. Martij.

VII. Joannes I. huius nominis. præfuit an. 1100. obiit 4. Martij.

VIII.

VIII. Udalricus Brigantinus obiit 30. Martij, quo verò anno, incertum est. Circa hæc tempora Monasterium ferè ex toto periit. incertum verò est, an ex incendio, an alia potius calamitate & infortunio, quæ in humanis sæpe accidere solent.

IX. Waltramnus Castellwardâ oriundus Professus aliàs & Conventualis, ut vocant, Petershusij ab Udalrico II. Constantiensi Episcopo afflicto Monasterio Præpositus est an. 1138. Hic præclarus Abbas Monasterium ex ruinis & quasi ex ipsis cineribus sustulit, & florenti statui restituit.

Sub hoc Abbate prima fit mentio Monasterij mulierum, quod olim contiguum fuerat Monasterio virorum, & ponè illud erectum steterat, quod postmodum S. Jdda jam senio confecta præsentia suâ & Religiosis virtutibus consecraverat. Probabile autem esse videtur, quòd Religiosum hoc pii sexûs asceterium ab isto Abbate exordium & primum lapidem non acceperit, sed præcisè sui renovationem. Non legitur quidquam de ulla Abbatissa Monasterii huius præside, at verò ex altera parte constat, non fuisse illud Domicilium sororum, ut vocant, seu Laicarum, cum in funerali codice nostro expressè legantur ista verba: obierunt N. Sanctimonialis, & N. Conuersa nostræ Congregationis. quo tempore

pore hoc Monasterium abolicum & antiquatum fuerit, infra suo loco dicetur.

Posteaquam igitur Waltramnus octo annis laudatissimè præfuit, sanctè in Domino conquievit an. 1146. 2. Aprilis.

X. Wilhelmus Hillauer vixit an. 1148. pariter extinctus 2. Aprilis.

XI. Nicolaus I. Sturzeneggâ oriundus. præfuit an. 1152.

XII. Rudolphus I. Münchwilensis vixit an. 1159. obiit 1. Aprilis.

XIII. Rudolphus II. Schaffhusam patriâ habuit. præfuit an. 1126. obiit 6. Maii.

XIV. Cuno floruit an. 1177. obiit 17. Maii. huius Abbatis temporibus vixit Sancta Comitissa Idda Fischingensis Cænobii Patrona.

XV. Henricus I. Münchwilensis vixit an. 1183. decessit 27. Februarii.

XVI. Burckhardus II. patriâ Hunzigkonensis præfuit an. 1203. mortuus 9. Maii.

XVII. Christophorus Schwend de Schwanberg huius nominis I. floruit an. 1208. spiritum Creatori reddidit an. 1209.

XVIII. Diethmarus Reinaviâ oriundus electus est an. 1209. animam egit an. 1234. 13. Iunii. quo tempore circa ann. Christi 1226. confinis arx Tockenburgum ab Abbate S. Galli occupatum fuit.

XIX. Joannes II. Herus Lutenbergâ oriundus præfuit Monasterio ab an. 1234. usque ad  
ann.

ann. 1244. naturæ debitum solvit 11. Martii.

XX. Conradus I. à Landenberg Monasterij Prælaturam adeptus est dicto an. 1244. rexit laudatissimè annis omnino 34. Ante hunc Abbatem, atque etiam circa exordia regiminis Monasterium varijs modis afflictum non modicè hinc inde passum est partim in ædificijs & sartis tectis, partim in Oeconomia & redditibus, ipsòque Religiosorum numero, idq; accidit ob repetitas incursiones & vexationes Tyrannorum & malorum hominum quidvis audentium, ac rapto viventium effrænatam audaciam.

Anno Christi 1244. interveniente & mediante, ac etiam præsentè Henrico I. Episcopo Constantiensi & Bertoldo Abbate ad S. Gallum in arce Tannegga gravis Controversia feliciter seposita ac temperata est, quæ inter partes exorta fuerat tempore Conradi Abbatis & Nobilis Equitis Conradi à Waldegg. Hic Abbas post inclytam Monasterij administrationem vitam mortalé finijt an. 1278. 7. Martii.

XXI. Henricus II. patria Creuzlinganus electus est an. 1278. viam universæ carnis inijt an. 1283. 27. Februarij.

XXII. Henricus III. Huober dictus, Elgenfis Monasterium regere incepit ann. 1283. sed inter non modicas difficultates, à quibusdam enim Nobilibus, nominatim ab Eberhardo & Arnolde de Bürglen, fratribus plurimum

mum vexatus fuit, qua de causa Monasterium non modicè iminutum est. At verò ea controversia tam noxia & periculosa per mediationem Rudolphi II. Episcopi Constantiensis & aliorum Magnatum, præsertim Friderici senioris Comitis à Tockenbourg maximo Cænobij bono ac fructu penitus sublata, & ab Eberhardo illata Monasterio damna redempta ac compensata sunt. Anno 1285. contermina arx antiquum Dockenbourgum rursus à quodam Abbate Campidunensi in vasum occupatumque fuit. Post laudabilem administrationem Abbas Henricus diem suum clausit 10. Novemb. an. 1289.

XXIII. Jacobus à Præpositis seu Prævostus huius nominis I. electus est illo ipso anno, præfuit Monasterio non malè. Anno 1291. in vicinia exorta sunt gravia bella ac dissensiones; & quia Abbas S. Galli partes Rudolphi II. Episcopi Constantiensis adversus Albertum Austriæ Ducem secutus est, idcirco Dux urbem Wilam occupavit, vastavit & penitus solo æquavit. Abbas verò Jacobus vivere desijt an. 1291. 5. Februarii.

XXIV. Conradus II. à Glotten Monasterij gubernacula admisit hoc ipso an. 1297. Temporibus huius Abbatis Monasterium multa beneficia accepit à Prænobili Henrico de Sternegg eiusque Coniuge, quæ nata erat una de Richensee, è contrario verò ipsi non medio-

diocria damna illata sunt à Nobilibus equitibus & germanis fratribus Henrico & Luitoldo de Griessenberg, qui tunc temporis residebant in Magdenau. Denuo ex sancto quodam instinctu boni albique spiritûs (quemadmodum ipsimet in suis literis testantur) in se ipsos reversi sunt, & pœnitentiâ actorum ducti Monasterio illata damna compensârunt. Subinde Abbas Conradus an. 1316. 8. Iunii placidè conquievit.

XXV. Rudolphus III. à Rechberg Conrado successit an. 1316. Hic Abbas varia privilegia & protectionis multiplicis literas atque diplomata impetravit ab Archiducibus Austriæ. In uno horum diplomate ipse cum suo Monasterio ab Archiduce Leopoldo municeps ac civis Kyburgensis agnoscitur, & honorifico eo titulo colitur. Posteaquam hic Abbas per viginti tres annos sacrum pedum tractavit, tandem fato ereptus est 21. Maij anno 1339.

XXVI. Eberhardus à Hulstegg Abbas factus est eodem anno 1339. corpus exiit 17. Januarii an. 1346.

XXVII. Nicolaus II. Stezing appellatus eodem anno 4. Aprilis Abbas ritè esse iussus est. fama est, bonum Oeconomum fuisse. postquam decem annis præfuit, fatis concessit 9. Januarii an. 1356.

XXVIII. Dietericus anno 1356. Abbatis ho-

honore decoratus est. Sub ipso Monasterium ad magnam inopiam redactum est ob improbitatem toparcharum, qui Cænobium multis modis & invasionibus exercuerunt, an. 1370.

2. Augusti Dietericus ex hoc sæculo transiit.

XXIX. Jacobus II. Babenseür appellatus, patria Wilensis Dieterico successit. præfuit solidis annis septendecim : difficultates temporum expertus est ingentes ; nam ob incendium & caritatem annonæ contraxit magna debita, insuper magnam rursus bonorum diminutionem Cænobium subiit, ita quidem, ut Abbas Jacobus jam non amplius par fuerit Religiosis suis honestè sustentandis. Tandem plenus tribulationum naturæ cessit 12. Octobris an. 1387.

XXX. Joannes III. cognomento Härlin altero statim die à sepultura Abbatis Jacobi in munere gubernandi subrogatus est. Rexit Monasterium 48. annis insigni cum laude. expertus est tempora utriusque speciei & fortunæ bonæ & malæ. Anno 1392. à Joanne Mandach coëmit Dominium Landsperg dictum, cum Toparchijs Krilberg & Buch, & hoc quidem cum consensu Cunonis Abbatis ad S. Gallum tanquam Domini Feudi. Anno 1405. Tockenburgum à Sanct-Gallen-sibus & Appenzellen-sibus penitus dirutum & vastatum est.

Anno

Anno 27. gubernationis huius Abbatis, nimirum an. 1414. 6. Martii utrumque Monasterium Filchingense virorum ac mulierum cum omni apparatu & supellectile templi miserabili spectaculo totum quantum deflagavit, & in cineres subsedit. In hoc incendio prodigium illud eluxit servati illæsi medijs in flammis venerabilis capitis S. Iddæ, quod sacrum lipsanum post tres dies inter ipsos ignitos cineres & arenas inviolatum repertum, indeque cum omnium admiratione & veneratione sublatum est, uti supra fusiùs cap. 9. meminimus.

Quia ergo post tam triste bustum Abbas Johannes facile perspexit, impossibile sibi esse, & rem supra vires suas, utrumq; Monasterium ex suo tumulo ac cinere resuscitare & in pristinum restituere, omnem saltem opem & operam in eam sollicitudinem contulit, ut virorum Cænobium erigeret. Hac ratione Monasterium mulierum ab eo tempore imperfectum suis in ruderibus relictum fuit, quia non habuit sublevantem se.

Vicini, uti par erat, magno dolore & tenebro commiserationis sensu affecti sunt, ubi utramque domum Dei miserè exustam contemplati sunt, neque longiùs ferentes eas ruinas, notabilem opem ac summam Christiana liberalitate contulerunt in unum, ut auxiliariis hisce quasi manibus ac brachijs muri de-

nuo in altum sustollerentur. Cæteris exemplo, quasi antesignanus præivit Prænobilis & Illustris Baro Eccecardus in Betwisen, ipsum secuti sunt reliqui Nobiles ac Magnates, qui modò & aliàs munificentiam suam Cænobio maximopere probârunt, & propterea pro specialibus Monasterij Benefactoribus habentur, & uti tales coluntur, quales nominatim sunt Nobiles de Büel, à Waldegg Egdegenschwil, Schwäbisberg, Steina, Lüttenheid, Sternegg, Lüttersperg, Mörleri, Barones de Steinegg, de Sulzberg, Sculteti à Winterthur, Ruggeni de Tannegg.

Posteaquam ergo Abbas Joannes III. Oeconomiam suam non mediocriter industriâ suâ restituit, ipse an. 1419. Dominium Bichelsee unâ cum arce & Dynastia Balderschwil & Niderhofen coëmit à Beringêris fratribus & Janne Rudolpho à Landenberg & Greiffensee. Tandem post laudatissimam gubernationem in longum sanè productam plenus dierum bonorum venerabilis & præclarus hic Abbas senio confectus liberè ac sponte grave regiminis onus deposuit, ac resignavit. posito officio non nisi annum supervixit, Mortalitatè exiit, immortalitatem induit 5. Augusti an. 1436. sepulcrum nactus est non procul facello S. Iddæ, nimirum ubi thesaurus ipsius erat in vita, ibi oportebat & corpus esse post mortem.

XXXI. Joannes Mettler huius nominis IV. Schwizienſis factâ ſui Prædeceſſoris reſignatione Abbas nominatus eſt an. 1435. menſe Majo. Patribus ſuis appoſitus eſt an. 1465. 16. Maij.

XXXII. Henricus IV. cognomine Scheuchti Lucernas ad dignitatem poſtulat uſ eſt ex Monafterio S. Galli, non quòd deeſſent, qui eligi potuiſſent ex gremio, ſed magis ob eam cauſam, quòd, optione facta difficili, ſuffragia diſſentirent, nec vota in unum certum conſpirarent. Gubernationem ſuam auſpicatus eſt an. 1465. ad amicam eius requiſitionem Adm. Rev. P. Albertus à Bonſtetten Decanus Eremitanus eruditum calamum apprehendit, & vitam S. Iddæ Comitiffæ ex perveſtiſtis & exoletis Germanicis Exemplaribus excerptam in Latinum tranſtulit, typo dedit, & Henrico Abbati dedicavit an. 1485. 25. Novembris. Hic ipſe Abbas Henricus ſepulchrû S. Iddæ, ut glorioſius eſſet, ex ſectis politisque lapidibus magnificè extulit, pro ut hødiedum viſitur.

Anno 1468. (nonnulli annum ſexageſimû nonum ponunt) Udalricus Abbas S. Galli Comitatum Tockenburgicum à Barone Petermanno & Wilhelmo de Rarona coëmit. Ab eo tempore tranquillè & ſine contradictione à dicto Principali Monafterio poſſidetur.

Abbas Henricus poſt laudabile 45. anno-

rum regimen tandem senio fessus abdicavit se gubernatione an. 1506. 2. Octobris retento titulo & dignitate Abbatis per quadriennium. Interea verò Cænobium administrabat Adm. R. P. Joannes Mayle Tockenburgo oriundus.

XXXIII. Joannes Mayle huius nominis V. ab obitu Prædecessoris Henrici ex administratore in Abbatem electus est an. 1510. 4. Maij. Anno Christi 1515. Abbas Christianus Monasterij S. Joannis in valle Thure cum hoc Abbate arctum piúmque foedus iniit, sancitis utrinque certis conditionibus per mutuas literas, eum in finem conceptas.

Udalricus Zwinglius hunc Abbaté cõsanguinitate attingebat. accidit auté, ut Zwinglius ad illum occasione quadam inviseret, & de varijs colloqueretur. Inter alia volatica verba, ut fieri solet, dicebat illi, se paulo post sacrum habitum cum cucullo exuturum. Tum enim verò Abbas Joannes Zelo domús Dei succensus deprecari & dissuadere non destitit, hortarique hominem per omnia sacra perrexit, ut à nefarijs consilijs, noxijs & sacrilegis novitatibus desisteret. quæ tamen boni cordis & oris disertissima verba nihil cum Zwinglio profecerunt; diciturque bonus Abbas ob infrunitam cognati sui perficiã mærore quodã animi obrutus ante tempus mortuus.

tuus. quæ mors incidit in annum 1523. diem Augusti decimum quartum.

XXXIV. Henricus Stoll eius nominis V. cognomento alio Seebach appellatus Tigurinus Joanni in clavo Monasterij successit eodem anno 1523. præfuit Monasterio ut Catholicus Abbas tribus annis. Posteaquam verò Tigurum & potior pars Turgoiæ in verba Zwinglij juravit, eiúsque doctrinam accepit, hic ipse Seebachius in spiritu Eliæ forti & ignito suggestum conscendisse, & , quâ præditus erat facundia, populum commonuisse dicitur, ut anguem in herba, hoc est, periculosas novitates vitaret, in antiqua probatâq; Religione perduraret. At ecce repentinam metamorphosin & rerum mutationem sanè tragicam! nam posteaquam germani ipsius fratres apostatricem quandam Monialem Töfio ad ipsum adduxerunt, vetita illa escâ captus bonus Stolo, in sirenis istius gratiam veram fidem ejuravit; adeóque verum Sancti Spiritûs oraculum in ipso locum invenit, quod ait Eccli. 19. Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes. Portâ disciplinæ semel effractâ, exemplum Pseudo-Pastoris secuti Cænobîtæ reliqui, velut oves errantes, quâ via facta, proruerunt in vetitum, séque in Apostasiâ præcipitârunt: plerique enim eorum Prædicantes, sive novi ac quinti Evangelij buccinatores evaserunt.

quod est, quòd pauci ipsorum fuerint, curvæ scilicet in terram animæ & cælestium inanes.

Plebs & vulgus pessimi exempli magnetè tracta pariter in hæresin se projecit, paucis exceptis bonæ mentis & animi mortalibus. Tum enim verò, uno eodémque impetu profanata templa, dejectæ aræ, pessum datæ sacræ imagines, calcatæ reliquiæ, sacra omnia spreta, contempta, proculcata, aut in profanos ac domesticos usus conversa. Quantum damni Monasterium nostrum ex hoc malorum cataclismo & Religionis mutatione acceperit, verbis explicari nequit. Sed ad Seebachium nostrum redeamus. hic ex pastore Lupus effectus in dicto statu Apostasiæ firmus ac solidus, nihilominus per sex integros annos Fischeingæ dominabatur, quasi legitimus Abbas foret, & non potius ut degener Ecclesiæ ac sacri Ordinis filius & sui nominis macula; donec tandem post cladem Cappellensem ab orthodoxis Cantonibus abdicatus & annuo quodam proventu instructus loco faceffere jussus est; quem Tigurini ad se recipientes verbi sui scilicet eximium præconè creârunt. Exinde administratio Cænobij uni alteri cuidam Apostatæ (æqua scilicet permutatione) demandata est. Vocabatur is Andreas Eggli, qui certis conditionibus eo sibi commissio munere per octennium functus est.

Inter hæc cum anno. 1534. Monasterium S.  
Bene-

Benedicti Constantiæ ad Scotos dictum factâ Religionis mutatione dirutum pariter & solo æquatum fuisset, tum Abbas ille à Cantone Schweitz in hoc nostro Monasterio collocatus, unâque ipsi administratio concredita est. quo factò dictus ille Eggli, quasi jure offensus, querelam suam Badenam deportavit, ibidémque tantum effecit, ut dictus Abbas denud ipsi administrationem cedere jussus fuerit. Abbas non multò pòst exilio suo confectus ærumnosam vitam hic finijt.

Quindecim ferè annis duravit hæc miseria & abominatio desolationis in loco sacro, quo tempore nulla ara, nullus Dei cultus Fischingæ erat: cum denud lux è Cælo affulsit. Inclyti namque septem Catholici Cantones circa annum Christi 1440. in eam cogitationem venerunt, ut veram Religionem, Dei que cultum in proprium, sed desertum locum suum introducerent: quod & feliciter re ipsâ præstiterunt; nam violentus bonorum Ecclesiasticorum Eggli res suas habere, & abscedere jussus est, prout paulò pòst fusiùs enarrabitur.

XXXV. Marcus Schenckli Wilensis ab inclyti orthodoxis Cantonibus per duos ablegatos à Dietelmo Blarero Abbate Principalis Monasterij S. Galli postulatus & Monasterio Fischingensi exinde Præpositus est an. 1540. 6. Augusti. Magna principio ipsi iniques &

multum negotij fuit cum Apostatis, qui se crasso errore ad huc Monasterij conventuales appellabant, & pro talibus etiam haberi volebant, in ordine ad bonum utile duntaxat & sustentationem. Respondit Abbas, vir minimè meticulosus, sed cordatus ac magnanimus, nihil se debere illis de patrimonio Christi, neque de altari, qui circa altare jam non amplius occuparentur: cæterùm si in se reversi ad Monasterium redire, ibique canere, orare & psallere, legere, concionari & cætera ad divinum cultum pertinentia ex præscripto Regulæ peragere vellent, uti antehac factitare solebant, curaturum se omnino pro viribus, ut in loco sacræ pascuæ nihil ipsis deesset.

Porro contentio hæc erat assidua & frequens, & repetitis vicibus propterea Abbati Badenam ad jus suum prosequendum eundem erat.

Prædicans Bichelseensis, cuius uxor durante mariti concione domi se suspendit, repetebat suum patrimonium & hæreditatem, quam in Monasterium attulerat, eaque portio, ad redimendam hominis importuni vexationem, ipsi adjudicata fuit. at verò bonum Deo semel legitimè donatum, & cum iniquitate revocatum malè ipsi cessit: nam liberi ipsius & filiorum filij ad duram ac diram mendicitatem redacti extrema rerum necessitate arrosi confectique sunt.

Eodem

Eodem año 1541. Prædicans Sirnachrensis Cantonibus significavit, quâ ratione ad Monasterium ipse reverti nequiret, eo ex capite, quodd uxorem duxisset, juxta illud Lucae 14. Uxorem duxi, & ided non possum venire: rogare proin se, ut ab hoc onere liber declararetur, ita, ut neque ipse à Monasterio, neque hæredes sui super ulla quacunq̃ controversia conveniri possent; vicissim neque se à Monasterio quidquam deinceps, quocunq̃ colore juris, aut titulo postulaturum. Rata habita est utrinque transactio & erecto codicillo confirmata.

Supererat inter partes litigâtes Administrator Apostata Andreas Eggli, qui reformationis hujus impatiens neutiq̃quam latae sententiæ & judicio acquiescere volebat. Posteaquam verò cum Abbate Marco an. 1540. Badenam citatus coràm Cantonibus in concilio comparuit, mandatum ipsi est ac præceptum seriò & graviter, ut novo constituto Abbati lampadem & potestatem traderet, administratione cederet, claves, literas, documenta, sigilla salva omnia & inviolata fide bonâ & integrâ eidem restitueret, ipse verò perfectis omnibus & fideliter præstitis loco sacro mox exiret. Nihilominus pro gesta aliquot annis administratione, in recognitionem, ut vocant, honesta ipsi pecuniæ summa numerata, & constituta est.

At verò etiam hunc pedissequa Dei poena ac vindicta è vestigio insecuta est minimè tar- do pede: nam, tamesi sibi à suo ex Monasterio discessu satis splendidam haud procul inde domum extruxisset, in qua hospitem egit, sen- sim tamen dilabentibus malè partis eò inopiæ devènit, ut filiam reliquerit, quæ cum non haberet, quod roderet, paupertate consum- pta periit atque contabuit. Ut verbo rem totam absolvam, ne unicus quidem ex dictis Apostatis compertus est, qui bonum post se o- dorem, aut memoriam in Benedictionibus dulcedinis reliquerit. quin omnes & singulos potiùs gravis manus Domini tetigit, ut poste- ris documento essent, bonum esse homini, si in ea vocatione, in qua primitùs vocatus est, per- maneat. uti Apostolus monet 1. Corinth. 7. Denuo, remotis hisce petris scandali & lapi- dibus offensionis, Abbati Marco pacifica quies ac tranquillitas parta est.

Huic ipsi Abbati ab inclytis Cantonibus Monasterium quoque Thenickense, in quo pariter multo tempore divinus cultus desie- rat, commissum ac demandatum est, cujus etiam sedulam curam habuit, donec id an. 1548. Religiosæ Dominæ Sophiæ de Grütt ex Magdenoviensi Parthenone eò postulatae tra- ditum fuit.

Alias Divinæ gloriæ Zelotes hic Abbas mox in primo gubernationis suæ exordio con-  
fra-

fractas aras sedulò rursus conquisivit, conquiritas erexit, erectas honesto apparatu & suppellectili ornavit. Cum propter transfugium deessent sui ordinis Religiosi, constituit initio pro hujate parochia pium Sacerdotè sæculare, pro sacellano verò unum ex Patribus Augustinianis. Inter hæc pro decore domus Dei sollicitus totus in eam sacram curam incubuit, ut selectos juvenes sacro Instituto habiles in locum Apostatarum subrogaret, quod paulò post factum, & divinus propediem cultus magnis incrementis restauratus est. Tantis igitur ac talis Abbas, postquam pro gloria Dei tredecim integris annis multa tulit, fecitque, incredibilisque labores indefesso studio exantlavit, demum agendo fortis, patiendo durus ad præstituta Dei famulis præmia avolavit 29. Maij an. 1553. & infra Cathedram sepultus est, credo idè, ut post mortem virtutibus suis nobis concionetur.

XXXVI. Joannes Rudolphus Rütli, sive Rütlimannus Wilâ oriundus Abbas dictus est 14. Junij ejusdem anni. Vix ipsi persuaderi potuit, ut honorem admitteret, quem admissum paulo post iterum sponte posuit: quippe non nisi triennio sacrum pedum tenuit, pie defunctus an. 1556. 7. Novembr.

XXXVII. Henricus Landsperger eius nominis VI. patria Raperswilensis Abbas electus est 8. Decembris anno eodem 1556. post nov-

vennalem gubernationem Berwifij peste extinctus est an. 1565. 29. Decembris, Fischingæ sepultus.

XXXVIII. Henricus VII. cognomento Gölli Dübachiensis primùm 15 Julij an. 1566. in Abbatem electus est. vacante Abbatiâ plus quàm medio anno. Causa huius interregni erat, quia Monasterium tanta debitorum mole ab aliquot annis usq; aded gravatum erat, ut ijs expungendis vix modus ullus suppeteret. adhæc bini duntaxat Cōventuales reliqui erant, nimirum iste Henricus & F. Casparus Egger: cæteros omnes pestis absumpserat. Postliminio administratio dicto P. Henrico concredita est, eâ conditione, ut bonum se œconomum probaret: brevique, quodd talis esset, exprimento patuit. quo præbito specimine præsentate Abbate Eremitano Joachimo & Hieronymo Abbate Murenfi Abbatiâ Monasterij plenè ipsi collata confirmataque fuit initio anni 1567. Non multò post decessit adhuc reliquus Conventualis F. Casparus, eiúsque morte totum Monasterium ad unū unicum caput redactum est; quare coactus fuit Abbas Henricus in subsidium divini cultûs duos sæculares Sacerdotes adlegere, quos iterum dimisit, ubi nova Religiosa prole ac supplemento Conventum ac Monasterium suum instauravit, quod magna cum laude præstitit, ac post octennalem gubernationem

in

in Domino obdormivit 3 Martij an. 1574. non procul à D. Iddæ sacello tumulatus.

XXXIX. Christophorus Brunner huius nominis II. Roschacensis gubernationem capessivit an. 1574. 1. Aprilis. præfuit viginti annis cum insigni commendatione Oeconomix, hoc ex eo patuit, quòd Monasterium pluribus locis periculo ruinæ proximum vel restauraverit, vel novum ex fundamento erexit. Monasterio addidit turrim magnam, itidem ex fundamento novam, & magnas campanas in multam distantiam vocales ac sonoras. Ipse nonnullos Cænobij sui Religiosos Fuldam ad studia misit: ipse à Gregorio XIII. Pontificia obtinuit, primum quidem duntaxat pro sua persona, postea verò intercessionem Serenissimi & Eminentissimi Principis Andree Archiducis Austriae S. R. E. Cardinalis & Episcopi Constantiensis año 1593. etiam pro suis posteris. Multa bona ac prædia, quæ in comuni illa Religionis mutatione & invocatione per inimicam & violentam hæresin à Monasterio fuerant abalienata, ipse ad patrimonium S. Benedicti reduxit. ipse primarius auctor & inchoator est Inclytæ & multum propagatæ Congregationis & Confraternitatis S. Iddæ Comitissæ. Denuo post plurima laudatissima opera etiam hunc præclarum Abbatem ordo moriendi tetigit 12. Junij an. 1594. Elatus est inter piorum lacrymas magno

magno cum luctu suorum Religiosorum, qui verum Christophorum in ipso habebant, & agnoscebant, cum fortibus humeris suis non tantum quemvis eorum in particulari, sed totum Monasterium toto gubernationis tempore portaverit egregiè, & Domum Dei suffulserit præclare.

XL. Jacobus III. cognomento Walckmeister Roschacensis successit eodem anno 7. Julij. fuit brevis regiminis, nec admodum laudabilis & felicitis. obiit an. 1598. 7. Januarij.

XLI. Benedictus Rennhas itidem Roschacensis electus est à morte Jacobi eodem adhuc mense die vigesimo primo. Hic omni exceptione major Prælati & antistes mirè Religiosam disciplinam promovit, proprietatem, si quæ irrepsit, abrogavit, clausuram restituit, cultum divinum amplificavit, pari felicitate temporalia quoque tractavit, multa debita expunxit, atque dissolvit, nonnullas graves controversias Badenæ insigni dexteritate in bonum Cænobij feliciter finijt ac terminavit. eluxit in hoc viro singularis prudentia & facundia, quæ ipsi apud præcipuos auctoritatem, apud subditos amorem ac venerationem conciliavit. Cùm ergo omnes ea spe & expectatione viverent, præclarum hunc Præfulem longiore virâ utique dignissimum providentiâ suâ, industria & virtute diutius futurum & Monasterium laudatissimè in

multos annos rectorum, ecce tibi! in morbum incidit, & post sexennem gubernationem cum summa commendatione peractam plenus meritis communi legi satisfecit & mortuus est 25. Augusti anno 1604. in ipso D. Iddæ facello honorificè sepultus. Mortuum subditi amaris lacrymis deplorârunt, & pium oculorum suorum imbrem sepulchro affuderunt.

XLII. Mathias Stehelin Fischingensis successit eodem anno, gubernavit annis duodecim. Ipse ornatu templum instruxit, & magnum organum fieri curavit. quia verò in Oeconomia non usque aded felix & expertus erat, eò benevolè persuasus est, ut gubernationem poneret, quod & lubens fecit an. 1616. Vixit postmodum tanquam privatus in Monasterio ipsos viginti annos. obiit anno Christi 1636. 25. Iunii.

XLIII. Placidus Brunschwiler ex Sirnach oriundus in Abbatem electus est, faustissimo omine, quia Mariano, in Octava B. Virg. Natæ 1616. Conventuales tunc numerabat decem, reliquit in die sui obitûs post se viginti sex. Vir hic sanè præclarissimus & de Monasterio optimè meritis uti virtute Antecessoribus suis suppar, ita omnes reliquos longævitate & spatio regendi superavit: annos namque 56. in gubernatione Monasterij exegit Religiosus Nestor. Posteaquam autem extremo senio,

& plurimis laboribus Dei causâ susceptis fractus, in dies viribus magis ac magis deficere, ac debilitari se sensit, abbatiam liberè ac spontè resignavit festo eiusdem Virginis Natæ 8. Septembris an. 1672. qui paulò post videlicet 1. Octobris pientissimè ac placidissimè obdormivit in Domino anno memorato 1672. ætatis suæ año octogesimo tertio. Obitus eius incidit in profestum SS. Rosarij, cuius ipse tantus amator, tamque solers promotor fuit, ut utramque Confraternitatem SS. Rosarij & sacri Scapularis cum mensuris Processionibus ad singularem Monasterij nostri ornatum & decòrem, subditorum verò Monasterij & circumjacentium accolarum præsentissimam utilitatem Fischingæ instituerit, ob quæ & alia præclarè gesta, cogitata, & strenuè executioni mandata ( de quibus paulo pòst dicitur ) incomparabilis hic Abbas verè Fundator præcipuus Monasterij nostri vocari potest, dignus omni elogio, quod in virum excellentis virtutis & prudentiæ cadere potest.

Sinam ergo de tanto talique viro potius scribere ac loqui Reverendissimum & Ampliss. DD. Abbatem Joachimum tum Priorè, nunc verò meritissimum eius Successorem, qui in vita S. Iddæ, quam typis vulgavit anno 1667. breviter quidem, sed verè, & compendio multa complecti volens in hæc verba scripsit ex Germanico in Latinum translata: Regit hoc  
tem.

tempore Monasterium ipsis 51. annis laudabiliter & præclare Abbas Placidus, de quo, ut os alienum potius ipsum laudet, dicere possunt, & habent, quod in ipso celebrent, qui non tantum virum præstantissimum nôrunt & statum Monasterij, qualis ante 50. annos fuerit, verum etiam accepta interea incrementa, quæ omnia in gloriam tanti viri redundant: nam ipsius indefessâ solertia, diligentia ac vigilantia hæc Domus Dei tam in Bonis spiritualibus, quam temporalibus, tam numero Religiosorum, quam disciplina & exercitio cultûs Divini mirum quantum profecit. Pluribus vicibus suos Religiosos ad studia misit, à quibus postmodum tam Philosophia, quam Theologia publicè fuit prælecta. Emit dominium Spiegelbergense. & multa alia præclara prædia ac Bona. Supellectilem sacram, Bibliothecam & Urbarium plurimum auxit. Propter Religionem, quæ instar pupillæ oculi, ipsi erat pretiosa & chara, propter Monasterium, quod tenerè diligebat, multos labores sustinuit, molestias devoravit, plurimas item causas civiles feliciter tractavit, expedit, absolvit.

Anno 1666. 4. Octobris, anno videlicet Sacerdotij sui quinquagesimo secundo publicè Sancti huius & Regalis statûs Jubilæum, sive secundam Missam coràm ingenti confluentium mortalium copia ac multitudine sub dio

celebravit solennitate, quantum fieri poterat, festivissimâ. Præsentibus tam extraordinariæ lætitiæ aderant Reverendissimi & Amplissimi in Christo Patres, Illustrissimus & Reverendissimus Princeps ac D. D. Gallus Abbas ad S. Gallum, Illustriss. & Reverendiss. Princeps Placidus Abbas Eremi, Reverendiss. D. Egidius Abbas Murensis, Reverendiss. Bernardus Rhenoviensis, Reverendiss. Ignatius Engelbergensis (à prandio hic ad comœdiam adventabat) Reverendiss. Fintanus Beinwilensis Abbas. Præfatus Reverendiss. & Illustriss. Princeps S. Galli cum Reverendissimo Murensi in hac solenni & Jubilæa Missa officio Archidiaconorum fungebatur, Reverendiss. & Illustriss. Abbas & Princeps Einsidlenis Presbyter erat Assistens. Reliqui Reverendissimi DD. Abbates Pontificalibus induti assistebant. quæ sanè pompa uti rara fuit tot Insulorum capitum, ita ad pietatem tenera & ad æstimationem Ecclesiæ ac fidei orthodoxæ præclara.

Illo ipso etiam sacerrimo die celebrata Fischingæ est Translatio trium SS. Corporum Gloriosorum MM. Romanorum Demetrii, Peregrini, Cæciliæ, & aliarum notabilium Reliquiarum, aliorumque Romanorum Christi Martyrum cum duplici antè- & pomeridiana exhibita actione Comica. Sicque dies illa solennitatis & lætitiæ duplici quoque jucunditate,

tate, pompa & plausu inter faustas acclamationes celebrata est. A primo ergo ad ultimum de laudatissimo hoc Abbate vera comprobata esse censeo verba illa Jeremiæ ii. v. 16. Olivam uberem, fructiferam, speciosam vocavit Nomen tuum. & illa Iob. cap. 5. v. 26. Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.

Quoniam verò tanta sunt Viri huius undequaque magni in nos merita, statuimus omnino, sine cujusquam invidia optimum Parentem singulari vitæ & mortis Elogio, elegantiore stylo conscripto hoc loco honorare.



*Elogium vite ac mortis Reveren-  
dissimi Abbatis Placidi.*

*A* Deste virtutis Amatores  
Ad magni cuiusdam viri prodigium.

**PLACIDUS** is est

*Fischingensium Abbas.*

*Satis dixi, ubi PLACIDVM nominavi:*

*Nunquam aliàs speciosum Nomen*

*Meliùs convénit cum sua re nominata.*

*Omnia in ipso erant PLACITA Deo & hominibus,*

*Quia erat PLACIDVS*

*Naturâ, ingenio, virtute.*

*Creatus Abbas est ipsâ Octavâ B. Virginis NATÆ,*

*Vt videretur tantæ dignitati non solùm APTVS,*

*Verùm etiam NATVS:*

**ET**

*Re verâ talem fuisse,*

*Præclara facta testantur,*

*Quibus gubernationem suam illustravit.*

*Monasterium inprimis auxit virtutibus,*

*Amplificavit redivitibus & opibus,*

*Vt perinde bonum ABBATEM se probaret, ac OECO-*

**NOMVM.**

*Auxit etiam Religiosarum numerum Personarũ:*

*Nam,*

*Quando dignitatem adiit,*

*Non nisi decem Religiosos Professos invénit,*

**Moriens**

Moriens reliquit viginti sex:

Prudens in ædificāda Domo Dei ACRHITECTVS fuit;

Erat sollicitus de VIVIS LAPIDIBVS,

Multiplicavit gentem, ut magnificaret lætitiā.

SS. ROSARII Confraternitatem Fischingæ instituit,

Gnarus,

ROSAS nullibi felicius crescere,

Nuspiam fragrare melius,

Quam in SPINIS S. Benedicti,

In quibus Divus Patriarcha olim se volutavit.

Rosarii Congregationem

Iunxit Confraternitatem sancti SCAPVLARIS;

Credebat enim, has duas Congregationes esse sorores,

Et idè separandas non censuit.

Suppellectilem sacram mirificè auxit in templo:

Rectè Oeconomiam suam incepit à Domo Dei.

Auxit & BIBLIOTHECAM;

Rectè:

Nam ipse VIVVS LIBER erat,

Et MAGNVS TOMVS virtutum,

In quo pietatem omnes legebant,

Quotquot virum intuebantur.

Misit Cænobitas suos aliò ad studia,

Vt non tantum pios, sed etiam doctos haberet Religiosos;

Misit PROFESSOS,

Recepit PROFESSORES Theologiæ & Philosophiæ.

CAVSAS quasdā CIVILES, & exortas controversias

Tractavit prosperè, finivit pro Monasterio feliciter,

Quia perinde ORARE sciebat in templo, ac PERORARE

in Curia,

Osten-

Ostendit se bonum **RECTOREM & RHETOREM,**  
 Persuasit facile, quia exemplo docuit,  
 Providus Paterfamilias emit **DOMINIVM SPIEGEL-**  
**BERGENSE,**  
 Ne deesset posteris **MAGNVM SPECVLVM**  
**EXEMPLORVM**  
**Oeconomix & Virtutis.**  
 Disciplina Religiosa uti amantissimus,  
 Ita fuit eiusdem tenacissimus;  
 Sciebat nimirum,  
 Bonum Superiorem decere Recti esse tenacem.  
 Totus Cælestis hic vir pendebat ex Deo,  
 Ab illo verò homines,  
 Quoties loquentem audiebant.  
 Hisce, aliisque virtutibus à bono Deo meritis est,  
 Ut ad extremam Senectutem perveniret.  
 Octoginta tres annos vixit,  
 Sibi diu, alijs parum;  
 Nam denuo juvenem optabant,  
 Ut longius frui possent;  
 Omnes suos Religiosos ætate supergressus  
 Duas Personas coniunxit in una,  
**DIGNITATE** Abbatis cæteris **PRÆPOSITVS**  
**ÆTATE** fuit omnium suorum **DECANVS,**  
 Quia **ANTIQVISSIMVS:**  
 Ita non tantum **ADOLEVIT** in virtute,  
 Verum etiam **SENVIT,**  
**IUBILÆVS** exinde Sacerdos secundâ suam **Missâ** dixit,  
 Et quidem sub **DIO** ac **LIBERO AËRE,**  
 Ut eò meliùs **RESPIRARET** à laboribus,  
 Et

Comitissa Tockenburgica.

215

Et ASPIRARET ad Cælum ;

CELEBRAVIT hoc modo sine omni IMPEDIMENTO

Etiam OBSTANTIS ÆDIFICII.

Dixi, Optimum Senem Missam DIXISSE secundam:

Erravi ;

Non DIXIT Missam, sed CECINIT:

CYGNI enim, cùm senescunt, CANVNT.

In hac sua solennitate PLACIDVS  
Reverendissimos & Illustrissimos Principes  
Archidiaconos & Assistentes habuit,

Ceu totidē terrestres ANGELOS EX SUPRE-  
MO CHORO.

Nimirū volupe est ANGELIS Sacerdori ad aram MI-  
NISTRARE.

Hoc Privilegium magnæ virtutis est,

Vt ei etiam Angeli serviant ;

Hæc prerogativa etatis,

Vt ei homines assurgant.

Celebratū est hoc Iubilæum cum jucunditate & letitia:

Quid nī enim IVBILÆVM deceant sacri IVBILIÆ

Sed jam terminus & vitæ finis Optimi senis

Elogium sibi petit.

Adeste iteratò sanctæ animæ, & attendite,

Quæ hæc auditis, vel legitis.

Motus in fine velocior est,

Etiam Sanctitatis.

Adeò senex factus est PLACIDVS,

Vt ipsi senectus transfiret in morbum ;

Quare dignitatem RESIGNAVIT :

Sciebat,

O 4

SENES

SENES IN FERENDIS ONERIBVS ESSE  
SVBLEVANDOS.

Resignationem fecit ipso NATÆ Virginis festo ;  
Nullo die aptius honori suo DENASCI poterat ,

Quàm festo VIRGINIS NATÆ.

Non multò post

PLACIDE obdormivit in Domino :

Nempe non tantùm in vita ,

Sed & in morte probavit , se fuisse PLACIDVM.

Mors tanti viri incidit in PRIMVM Octobris ,

Vt PRIMVS dies mensis VLTIMVS esset vita :

Mense OCTOBRIS mortuus est :

Nimirum MATVRVS Cælo erat hic BOTRVS ,

VINDEMIARI à morte hoc mense debuit :

Etiam S. PLACIDVS Divi Benedicti discipulus ,

RVBICVNDVS ILLE BOTRVS

Per gloriosum Martyrium

Initio Octobris VINDEMIATVS est.

Quod Mystério non caret ,

In ipso Profesto & pervigilio SS. ROSARII

Obiit PLACIDVS.

Nimirum ROSARIVM transiit ipsi in CORONAM ,

Non quam deinceps oraret ,

Sed capiti imponeret.

Tu viator

Ad tumulum magni huius viri subsiste ,

Mortuo bene precare ,

(TEM

Et noli PLACIDVM PLACIDE HIC DORMIEN-

Ante supremæ illius tubæ sonum

E PLACIDO SOMNO excitare.

XLIV. Joachimus Seiler Wilensis Modernus Abbas. Altera statim post Placidi resignationem luce 9. Septembris anno 1672. præsentibus Illustrissimo Domino Odoardo Cybo Nuntio Apostolico &c. Illustrissimo item Principe, ac Domino Gallo Monasterij ad S. Gallum Abbate, nec non Reverendissimis Dominis Fridolino Murenfis, & Bernardo Rhenoviensis Monasterij Abbatibus in Prælarum electus fuit, posteaquam sub placido Antecessoris regimine Priorem egerat, & pluribus annis varijs Ordinis muneribus præclarè functus fuerat. Theologiam Scholasticam binis antehac vicibus publicè summa cum laudè professus. Electione factâ non multò post, videlicet 3. Novembris in Festo Divæ nostræ Domesticæ, S. Comitissæ Iddæ à Reverendissimo & Amplissimo Domino D. Georgio Sigismundo Heliopolis Episcopo, Suffraganeo Constantiensi ritè ac solemniter consecratus, & inauguratus fuit. Quæ deinceps laudanda egit, agítque etiamnum, cum decretum Sacræ Scripturæ laudè cuiusq; hominis dum adhuc in vivis est seriò prohibeat, posteris comémoranda relinquo. DEUS Opt. Max. dignetur tantum Præsulè, quàm diutissimè Monasterio suo servare incolumem, ut plurimis adhuc añis, sub paternis ejus scapulis & peñis delitescere, ac benè sperare possimus. Ita vovemus ónes, & Deum vitæ, ac mortis Dominum impensissimè precamur, obsecramus.